

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum præsumptio sit peccatum? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

obtineat, neque multum tristatur si illud amittat. Et idè quia magnanimus non estimat exteriora bona, scilicet bona fortunæ, quasi aliqua magna: inde est, quod nec de eis multum extollitur si adsint, neque in eorum amissione multum deiicitur.

QVÆST. CXXX.

De presumptione, in duos articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de vitijs oppositis magnanimitati. Et primo de illis, quæ opponuntur sibi per excessum; quæ sunt tria, scilicet præsumptio, ambitio, & inanis gloria. Secundo, de pusillanimitate, quæ opponitur ei per modum defectus.

¶ Et circa primum queruntur duo.

¶ Primo, vtrum præsumptio sit peccatum?

¶ Secundo, vtrum opponatur magnanimitati per excessum?

ARTIC. I.

Vtrum præsumptio sit peccatum?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod præsumptio non sit peccatum. Dicit enim Apostolus ad Philip. 3. Quæ retro sunt obligiscens, ad interiora me extendo. Sed hoc videtur ad præsumptionem pertinere, quod aliquis tendat in ea quæ sunt supra seipsum. Ergo præsumptio non est peccatum.

¶ 2 Præterea, Philosophus dicit in 10. * Ethic. quod oportet non secundum suadentes humana sapere hominem entem, neque mortalia mortalem; sed in quantum contingit immortalem facere. Et in primo Metaph. dicit quod homo deberet subtrahere ad diuinam, in quantum potest. Sed diuina & immortalia maximè videntur esse supra hominem. Cum ergo de ratione præsumptionis sit, quod aliquis tendat in ea quæ sunt supra seipsum, videtur quod præsumptio non sit peccatum, sed magis sit aliquid laudabile.

¶ 3 Præterea, Apostolus dicit 2. Cor. 3. Non sumus sufficiētes aliquid cogitare à nobis quali ex nobis. Si ergo præsumptio, secundum quam a' iquis nititur in ea ad quæ non sufficit, sit peccatum: videtur quod homo nec

651

sup. q. 21.

42 ad 1

q. 70.

art. 3. ad

2.

ca. 7. non

procul à

fin. 10. 5.

te. 2. decli-

nando ad

fus. id in-

nuit; 10. 3

nec

nec cogitare aliquod bonum licet posse: quod est inconveniens. Non ergo presumptio est peccatum.

SED contra est, quod dicitur Eccles. 37. O presumptio nequissima: unde creata es? Vbi respondet glossa*: De mala scilicet voluntate creaturæ. Sed omne quod procedit ex radice mali voluntatis, est peccatum. Ergo presumptio est peccatum.

R E S P O N D E O dicendum, quod cum ea quæ sunt secundum naturam, sint ordinata ratione diuina, quam humana ratio debet imitari, quicquid secundum rationem humanam sit, quod est contra ordinem communiter in naturalibus rebus inveniuntur, est vitiosum & peccatum. Hoc autem communiter in omnibus rebus naturalibus invenitur, quod qualibet actio commensuratur virtuti agentis. Nec aliud agens naturale nititur ad agendum id quod excedit suam facultatem. Et ideo vitiosum est, & peccatum, quasi contra ordinem naturalem existens, quod aliquis assumat ad agendum ea, quæ præferuntur sive virtutis: quod pertinet ad rationem præsumptionis, sicut & ipsum nomen manifestat. Unde manifestum est, quod præsumptio est peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet aliud esse supra potentiam actionum alicuius rei naturalis, quod non est supra potentiam passiuam eiusdem. Inest enim aeris potentia passiva, per quam potest transmutari in hoc quod habeat actionem, & motum ignis, quæ excedunt potentiam actionum aeris. Sic etiam vitiosum esset & præsumptuosum, quod aliquis in statu imperfectæ virtutis existens, attentaret statim assequi ea quæ sunt perfectæ virtutis. Sed si quis ad hoc tendat, ut proficiat in virtutem perfectam, hoc non est præsumptuosum nec vitiosum. Et hoc modo Apostolus in anteriora se extendebat, scilicet per continuum profectum.

Ad secundum dicendum, quod diuina, & immortalia, secundum ordinem naturæ sunt supra hominem. Homini tamen inest quædam potentia naturalis, scilicet

cœ

QVÆST. CXXX. ART. I.

cer intellectus, per quam potest coniungi immortalibus, & diuinis. Et secundum hoc Philosophus* dicit *loco citato*: quod oportet hominem se trahere ad immortalia, & *to in ar-*
diuina: non quidem ut ea operetur quæ decet Deum gum.
facere, sed ut ei vniatur per intellectum, & voluntatem.

Ad tertium dicendum, quod sicut Philosophus* dicit in tertio Ethicorum, Quæ per alios possumus. aliquiliter per nos possumus. Et ideo quia cogitare & facere bonum possumus cum auxilio diuino, non totaliter hoc excedit nostram facultatem. Et ideo non est presumptuosum si aliquis ad aliquod opus virtuosum agendum intendat. Eset autem presumptuosum, si ad hoc aliquis tenderet absque fiducia diuini auxilij.

ARTIC. II.

*Vtrum presumptio opponatur magnanimitati
per excessum?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod præsumptio non opponatur magnanimitati per excessum. Præsumptio enim ponitur species peccati in Spiritum sanctum, ut supra* habitum est. Sed peccatum in Spiritum sanctum non opponitur magnanimitati, sed magis charitati. Ergo etiam neque præsumptio opponitur magnanimitati.

¶ 2 Præterea, Ad magnanimitatem pertinet quod aliquis se magnis dignificet. Sed aliquis dicitur presumptuosus, etiam si se parvus dignificet, dummodo hoc excedat propriam facultatem. Non ergo direcèt præsumptio opponitur magnanimitati.

¶ 3 Præterea, Magnanimus exteriora bona reputat quasi parva. Sed secundum Philosophum in quarto* Ethicorum, præsumptuosi propter exteriorem fortunam sunt despctores, & iniuriatores aliorum, quasi magnum aliquid estimantes exteriora bona. Ergo præsumptio non opponitur magnanimitati per excessum, sed solum per defectum.

SED contra est, quod Philos. dicit in* secundo
& quar-

c. 3. à me-
dio, 10. 5.

652

infr. qu.

133. a. 1.

corol. &

Mal. q. 8.

a. 3. ad 1.

* q. 14. a.

a. 1.

& q. 21.

a. 1.

c. 2. circa

med. 10. 5

l. 2. c. 7.

& l. 4. 5.

3. ad fin.

10. 5.